TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

FEBRE FLAVA.

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

FEBRE FLAVA,

REGIONUM CALIDARUM:

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EDVARDUS FISHER,

VIRGINIENSIS.

Ad diem 12 Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GEORGII MUDIE ET FILII.

1795.

EDVARDUS FISHER,

BENJAMINO RUSH, M. D.

S. P. D.

NEMO, me judice, sibi in animum unquam induxit, opusculum hujuscemodi alicui, nisi eum, ut amicum dilexerit, vel, ut philosophum, fuerit admiratus, dicare. His utrisque impulsus, hocce primum, in re medica, conamen tibi, animo perquam grato, dedico, et consecro.

VALE.

EDINBURGI, idibus Septembris, anno ſalutis humanæ, 1795, dabam.

SIR,

I agree with you, that the yellow-fever, though sometimes contagious, is not generally so. In this respect it is upon a footing with the common bilious-fever, the dysentery, and even the intermitting-fever. It was contagious in a very feeble degree in Philadelphia in the year 1762. It was so, in but a few instances, last year. It was not so, in any case, in Charleston, last year, where it prevailed during the autumn, according to Dr. Ramsay, Dr. Bacon and Dr. Irvine. In the West Indies, it is contagious in a greater or less degree, according to the weather, or habit of the patient. In some years, it affects ſtrangers only, who do not propagate it among each other. At other times, it spreads among strangers by contagion, and rarely it affects the natives. Dr. Chisholm makes the absence of contagion to be characteristic of the yellow-fever. Several other writers have adopted the same opinion, but they have all erred, by not attending to the influence of the weather, and other circumstances upon the disease, in different seasons, and in different Islands. Yours, &c.

BENJ. RUSH.

PHILADELPHIA,
July 8. 1795.

SIR,

I agree with you, that the yellow-fever, though sometimes contagious, is not generally so. In this respect it is upon a footing with the common bilious-fever, the dysentery, and even the intermitting fever. It was contagious in a very feeble degree in Philadelphia in the year 1793. It was so, in but a few instances, last year. It was not so in any case, in Charleston, last year, where it prevailed during the autumn, according to Dr. Ramsay, Dr. Bacon and Dr. Irvine. In the West Indies, it is contagious in a greater or less degree, according to the [illegible] of the [illegible]. In some years, it affects strangers only, who do not propagate it among each other. At other times, it spreads among strangers by contagion, and carries its effects the natives. Dr. Chisholm under the influence of contagion [illegible] the contagiousness of the yellow fever. [illegible] writers have adopted the same opinion, but they have all erred by not attending to the influence of the seasons, and other circumstances upon the climate, in different seasons, and in different latitudes. Yours, &c.

BENJ. RUSH.

[illegible]

TENTAMEN MEDICUM

DE

FEBRE FLAVA,

REGIONUM CALIDARUM.

PROPTER stragem permagnam, quam febris flava, dum Philadelphiæ, anno salutis humanæ 1793, invalescebat, edidit, et propter opiniones medicorum super ejus natura et origine diversas, hic morbus argumentum summi momenti evasit, argumentum, in quod unemquem-

que philosophorum accuratissime inquirere decet.

Nova huic morbo medendi via, stabilita, æram historiæ medicinæ insignem constituit; et lumen materiæ, olim tenebris spississmis involutæ, non modicum offundit.

Non mihi in animo est, vel historiam morbi, vel ejusdem curationem, in tentamine subsequente, plene fuseque exequi; sed tantum res certas universas proponere, et de iis, quæ, in utroque ex hisce argumentis, maximi momenti esse existimo, disserere.

Omnino supervacaneum foret, vel uni vel alteri accurate considerando immorari; cum de utroque diligenter et erudite egerit amicus et præceptor celeberrimus Doctor Rush, cui nonnullas ex observationibus, super morbis plagarum calidiorum, pretiosissimis debet genus humanum.

DEFINITIO.

DEFINITIO.

Nullus forsitan morbus est, cui corpus humanum pateat; qui difficilius, quam febris flava, finitur. Quoniam raro, in quibuslibet duobus hominibus, signa omnino eadem ostendit; et quoniam signa ejus, per viam curandi adhibitam, variare consuerunt. Igitur, defectus definitionis, quæ subsequitur, excusatum iri, minime despero.

Signa pyrexiæ communia excipiunt dolores artuum inferiorum et lumborum excruciantes, capitis dolor violentior; oculorum rubor, quibus pupillæ sæpe dilatantur, vires corpori magnopere convulsæ, et animus demissus. Pulsus arteriarum nonnunquam debiles, celeres et intermittentes sunt; et, sanguinis detractione alvive purgatione adhibita, attolluntur. Aliquando pleni, tardi, et tensi esse reperiuntur. Frequenter

quenter accedit vomitio, prius biliosa, deinde e materia nigra, quæ coffeæ sedimentum refert, constans. Alvus plerumque adstricta est. Per stadia morbi provectiora, sanguis ex ore, oculis, auribus, ventriculo et intestinis per anum, sæpe profunditur. Non raro, finem versus, colore cutis flavido morbus stipatur. Prius, circa collum et pectus, semet ostendit; et deinde reliquum corpus gradatim pervagatur.

DIAGNOSIS.

Quæ observationes subsequuntur, eæ ad hunc morbum ab aliis rite dignoscendum utiles esse reperientur; quanquam pauculæ earum tantum attentionem merentur.

Aliquod hoc morbo laborantis vultui inest, quod oculum medici cubiculum intrantis, in sese, momento convertit, quod hunc morbum

a quolibet alio plane secernit. Hoc plerique auctores, qui hoc argumentum fuerunt executi, notarunt; et quidem perquam singulare est; verbis clare enunciari nequit; sed animi demissi et anxietatis mistura molestissima est.

Vultus ab eo, qui in febre communi biliosa sese ostendit, tantum differt, quantum facies feri animalis a domestico mitique propria discrepat*. Morbus ab illis, quibus videndi eum multæ occasiones fuerunt subministratæ, ab omnibus aliis facillime dignoscitur.

Cutis non perquam calida est; sed aliquid *punctionis* in ea sentitur, et manum medici sensu ingrato impertitur. In multas hebdomadas, postquam ægrotus e morbo emersit, non sibi naturalem lævitatem recuperat†. Hoc in iis,

qui,

* Rush.

† Jackson on fevers.

qui, sine sudatione, convalescunt, potissimum notabile est.

Ventriculus forsitan attentionem nostram magis meretur, quam quælibet alia corporis universi pars; quod non tantum magni doloris sedes est, sed quod adeo irritabilis est, ut substantias mitissimas vomitione rejiciat, et inflammatione, ejusque sequelis, pro certo fere funestis, corripi periclitetur.

Ictus arteriarum, hoc in morbo, silentio non sunt prætereundi. Modo perquam singulari micant, et, judicio Doctoris Jackson, progressum motumque vermiculi non parum referunt. Morbus quidem hoc singulari solo dignosci potest*.

Notatu non indignum est, hanc febrim in eas partes, quæ morbo ante debilitatæ fuerunt, vim suam

* Rush.

suam universam exercuisse. Namque, pro ratione justa, e qua vires pulmonibus, hepati vel ventriculo, prius fuerunt convulsæ, in febrim flavam, mitiorem gravioremve, incidere consueverunt mortales. In exemplo, quod mihimet semet ostendit, ægrotus stillicidio diu laboraverat. Cum febre flava correptus est, urethram ei modo adeo insigni affecit, ut non parum metus, ne recens contagium accepisset, ei fuerit incussum. Namque non parum doloris, inter urinam reddendam, sensit; qui tamen ei ex toto decessit, cum primum e febre emergere cœpit.

QUÆDAM OBSERVATIONES UNIVERSÆ ET MISCELLANEÆ.

Inter medicos plerumque convenit, febres intermittentes, remittentes, et flavas, pro eodem morbo haberi debere; et gradu tantum diferre;

et

et dysenteriam solummodo febrim esse, cujus humores inteſtina versus feruntur. Hi morbi ab exhalatione, et plerumque a miasmatis palustribus proficiscuntur. Autumno sæpissime, et maxime funeste, invalescere solent. Pro gradu caloris majore vel minore, et pro æstatis antecedentis humiditate, et prout situs, ubi epidemice grassantur, editior demissiorve est, variare solent.

Doctor Blane memoriæ prodit, calorem diuturnum, qui infra gradum thermometri Farenheiteani septuagesimum quintum raro descendit, ad febrim flavam, in India occidentali, progenerandum esse necessarium; et stragem maxime horrendam edere, cum tempestas pluvialis protractior fuit, et quantitas imbrium ab æthere insueta descendit. Quinetiam vir clarissimus Doctor Rush, in prælectionibus suis, memorat, hominibus febre remittente laborantibus, qui a locis humilioribus fluminis Delaware ad vicina

altiora

altiora migraverint, morbum, brevi spatio, in dysenteriam esse conversum.

In primis probabile est, causas febris flavæ remotas corporibus humanis, per aera, applicari. Hinc, non sine ratione gravi, poni potest, omnem hujus mutationem plus minusve varietatis in morbo esse facturam. Quod huic conjecturæ omnino respondet, id est, cœlum modice frigidum, noctibus decimi octavi, et decimi noni diei Septembris anni 1793, ad stragem morbi minuendam nihil contulisse; sed contra, eam auxisse. Hoc haud dubie incidit, quod frigus cœli non adeo fuerit intensum, ut miasmata præcipitare, sed tantum vim eorum et efficaciam adaugere, valuerit. Morbum vero ex toto depellunt gelu tempestasque pluvialis.

Vim tempestatis in hanc febrim mirabilem ulterius illustrat a Doctore Lining Carolinæ Australis memoriæ proditum, diem calidissimum

nempe, omnia morbi signa mala intendere et ea nonnunquam etiam movere; et frigidissimum, contra, ægrotum iis, quæ querebatur, magna ex parte, levare.

Causa remota, vel calor æstatis præcedentis, cursum humorum ad viscera abdominis, et præsertim ad hepar, facit, auctum, (forsitan morbidum,) secretionis bilis progenerans. Hinc in Zealandia, una e septem provinciis fœderatis, hic morbus *gall-sickness* appellatur*.

Causa febris flavæ, remota, raro adeo potens esse videtur, ut morbum sine auxilio causarum excitantium, hisve illi adjunctis, movere valeat. Immó haudquaquam affirmare dubito, morbum, excitatum, noxæ, quæ ejus actionem commovit, quantum gravitatem signorum spectat, pro rata parte respondere. Præterea Dr. Clark memoriæ prodit, febrem remittentem, quæ epidemicam

demicam

* Pringle's Diseases of the Army.

demicam Bengaliensem, omnibus suis signis, refert, naves, dum cursum ad Indiam orientalem prosequuntur, infestare, et a frigore et calore, semet frequenter excipientibus, et a magna corporis defatigatione, proficisci.

Milites nautæque, apud Indos occidentales, hanc in febrim rarius incidere consuerunt, nisi magno corporis labori fuerunt objecti, et semet inebriarunt, et, hoc modo affecti, calorem solis torrentem, vel humiditatem noctis refrigerantem tolerarunt.

An febris flava est morbus, qui inflammationem habet? Doctor Moseley eum quam plurimum inflammationis, habere affirmat. Et vir ingeniosissimus Doctor Rush in eandem sententiam concessit. Omnibus, morbi naturam spectantibus, candide diligenterque examinatis, ut opinioni eorum, et, ob rationes subsequentes, assentiar animus mihi non parum inclinat.

1*mo*, Homines,

1*mo*, Homines, omnis ætatis, hac febri afficiuntur, sed illi, qui inter annum decimum quartum et quadragesimum sunt, ei maxime patent. Quidam, ætate provectiores, ea correpti fuerunt; sed non tot eorum, ac robustorum, qui mediam ætatem attigerunt, rapere solebat. Viri, quam fœminæ, ad eam procliviores sunt; et prægnatio mulieres ei objicere videtur *.

Hinc satis evidens et manifestum est, eos, qui, febrim in flavam, potissimum illapsi sunt, ad alios morbos etiam, inflammationem habentes, imprimis fuisse pronos.

Servi, apud Indos occidentales, raro aut nunquam aliquid detrimenti a febre flava capiunt. Nonnulli quidem Africanorum febre, Philadelphiæ, anno salutis humanæ 1793, epidemice grasante, corripiebantur; sed non æque, ac al-

bo

* Rush on the Bilious Remitting Yellow Fever, p. 94—5.

bo colore præditi, ad eam proclives erant, nec morbus signa adeo formidolosa in illis, cum eos invaserat, ac in aliis, edebat. Hoc discrimen autem facile poterit explicari, si animum nostrum ad genera alimenti diversa, quæ ab iis, in conditionibus suis diversis, adhibeantur, consideranda adjungamus. A multis, quibus summa fides tuto haberi potest, iterum iterumque accepi, servos Indiæ occidentalis victu parcissimo, a dominis suis crudelissimis, circumscribi solere. Hanc ob causam, nimia plenitudo vitiis eorum vix potest accenseri. Servi Philadelphienses, contra, libertatem plerumque sibi adepti sunt, et igitur opis eorum est, multo commodius pleniusque, quam facere possunt Indiæ occidentali proprii, sed non æque laute, ac incolæ albidi, victitare. Hæc res vera non parvi momenti est, utpote quæ clare ostendat, quantopere victus parcior et tenuior ad hunc morbum præcavendum vel levandum conferat. Dr Rush, toties supra laudatus, affirmat, se ex faucibus orci, ad hanc

hanc victus rationem confugiendo, evasisse. Quantum ad memetipsum attinet, mihi ex toto persuasum habeo, me vitam ei, et cathartico semel bisve, singulis hebdomadis, adhibito, debere.

2*do*, Alterum argumentum, quod uti concludam facit, febrim flavam multum inflammationis habere; est hoc, quod omnes morbi, qui eam præcesserunt, ejusdem indolis fuerunt. Vir clarus Rush tradit, scarlatinam etiam tantum inflammationis ostendisse, ut, sine sanguinis detractione, sanari nequiverit, et crustam coriaceam, uno in exemplo, sanguini educto innatasse.

3*tio*, Quæ hanc febrim multum inflammationis habere clarissime demonstrant, ea sunt effectus admodum salutares, qui profusiones sanguinis copiosas subsequuntur. Multi auctores referunt, ægrotum, postquam de eo a medico suo desperatum, omnino, et spatio brevissimo, ob ostium venæ, unde sanguis ante fuerat emissus, fortui-

to

to reclusum, vel ob hæmorrhagiam ex aliqua corporis parte prorumpentem, quæ magnam ei sanguinis jacturam fecerat, convaluisse.

Quæ comparatio successus viarum medendi diversarum, in quas medici Philadelphienses processerunt, a Doctore Rush instituitur, ea, me judice, omni, præjudiciis suis a justo veritatis studio non longe abrepto, naturam hujusce morbi perquam inflammatoriam esse persuadere debet. Ex hac plane apparet, decem e duodecim, quibus cortex Peruvianus et laudanum fuerunt præscripta, fato concessisse; et nonaginta novem e centum, contra, e morbo emersisse, in quibus ad regimen antiphlogisticum, sanguinis detractionem, alvi purgationem, *&c.* fuit decursum.

Ad partem argumenti considerandam nunc ventum est, quam summa diffidentia aggredior. Spem vero foveo, conamina, quæ febrim flavam non contagione ab aliis corporibus ad alia vulgari

monstrandi

monstrandi facturus sum, eam indulgentiam, quam omnis inexpertus juniorque auctor expectat, quamque, ut jus sibi debitum, poscere potest, offensura esse. Nihil aliud mihi autem exopto, quam ut res veræ utrnique candide examinentur. Judicium, a comparatione hujuscemodi deductum, me judice, notioni favebit, febrim flavam non sæpius, quam febrem intermittentem, vel phthisin pulmonalem, contagione diffundi.

Investigationem hujusce rei semel aggressi sunt viri honorabiles, commercio Indiæ occidentalis curando impositi; et medicus, qui artem Hippocraticam, in insula Jamaicensi, cum multa laude sua, diu fecerat, asserere non dubitavit, morbum non esse contagiosum *.

Febris epidemica, quæ Philadelphiæ, autumno anni 1793, sæviit, in multis urbis partibus, a loco, ubi primum orta fuerat, dissitis apparuit; sed

* Encyclopædia.

sed eam ad portum, ubi coffea putrida, quæ eam progeneraverat, accumulata jacebat, constanter prosequi non difficile fuit.

Perquam pauca fuerunt exempla, ubi nutrices, vel ægrotos curantes, infecit, vel rure, vel in locis urbanis, ad quæ aer purus libere adspirabat, ut in fine plateæ mercatus ulteriore.

Nulli eorum, qui in nosocomio, ergastulo vel carceribus, detinebantur, morbo corripiebantur; quanquam nonnihil commercii illis, cum incolis urbis, intercesserit oportet. Incolumitas autem eorum a locis, quæ tenebant, editioribus plenumque perflatum habentibus, et ab hoc, quod ab origine vive effluviorum coffeæ longule distabant, meo judicio, pendebat.

Vir clarus Doctor Hillary memoriæ posterorum tradit, morbum, apud Indos occidentales, plerumque non esse contagiosum; et eos, qui ægro-

tantes nutriunt, nisi cum formam suam maxime malignam sibi assumpsit, nunquam inficere.

Morbi aciei (inquit Doctor Jackson, de stipendiis, quæ in regionibus Australibus Americæ fœderatæ facta sunt, disserens,) sæpe epidemice grassantur, aliquando maligni sunt, sed raro contagione diffunduntur.

Proximum est, ut quasdam res veras in medium proferam, quæ febres, huic, quam in præsentia exequor, non dissimiles, contagione non propagari demonstrant.

Malum supra positum, quod *gall-sickness* appellatur ab incolis Zealandiæ, per contagionem a corporibus aliis ad alia nunquam vulgatur*.

Duodecim nautæ, e nave Danica in littus insulæ North egressi, ibi duas noctes manserunt.

* Lind.

runt. Omnes febre correpti, e qua ne unus quidem convaluit, quamvis navis cursum prosequi statim incepit. Ægrotantes a reliquis sociis navalibus non disjuncti sunt; nullis tamen eorum, si eos, qui in excensum in terram fecerant, invasit febris *.

Certo tempore, quo febris maligna biliosa Gadibus epidemice grassabatur, quidam nautæ, e nave bellica Regia Tueda, quæ tunc, in portu, in anchoris tenebatur, exeuntes, littus petiverunt, et febrim contraxerunt. Quanquam a reliquis navitis non separabantur, febris neminem, præter eos, qui urbem fuerant ingressi, corripiebat. †.

Neminem fugit, qui medicinam in plagis calidioribus fecerit, vis exhalationis longe lateque patens. Non igitur est, cur miremur, si effluvia

* Clark.

† Lind.

via tam universa et multiplicia sint, ut febrem, quæ tam longe lateque invalescat, quam febris flava Philadelphiensis, faciant. Una est e maximis philosophiæ regulis, non plures causas recipere, quam quæ ad phænomena progenita exponenda sufficiunt. Cur igitur auxilium contagionis, ad diffusionem morbi, ab exhalatione plane proficiscentis, universam explicandam, opus esse judicamus? Insuper, opinionem hic prolatam bene, et pro certo, si fieri potest, stabilire, res summi momenti foret; quod malum diminueret, vel ex toto tolleret, quod epidemicam anni 1793 multo magis luctuosam, quam alioquin fuisset, reddebat. Namque faceret, ut ægrotantes, miserum in modum, non amplius soli relinquerentur, ut sæpe nuperrime Philadelphiæ incidit. Ibi metus contagionis tantus invaluit, ut uxores maritos, et parentes liberos, eo tempore, desererent, quo morbo dolentissimo conflictabantur, et magis, quam unquam ante, consolatione auxilioque amicorum indigebant.

Antiquam

Antequam hoc argumentum ad finem perduco, non alienum, immo necessarium esse, existimo, aliquam rationem reddere, cur dissentire non dubitaverim a multis auctoribus, qui hunc morbum fuerunt executi, præsertim a viro celeberrimo Doctore Rush, quo nemo mortalium omnia, naturam morborum spectantia, accuratius notavit, quique febrim flavam, de qua, in præsentia, disseritur, attentione diligentiaque summis consideravit.

Non invitus confiteor, me nullam rationem, quæ omni lectori satisfacere valeat, reddere posse, cur, a primo momento, ex quo animum ad argumentum considerandum adjungere, et res veras, quas supra recensuerim, attente contemplari inceperim, animus mihi ad notionem, supra positam, recipiendam magnopere inclinaverit. Cum mihimet persuasum habeam, candidos recte judicaturos esse, quae mero præjudicio ab amore veritatis studioque detorti objiciant,

ciant, minime reformido. Si errem, quicunque id mihi monstraverit, summo beneficio memet, in perpetuum, sibi devinciet.

CURATIO.

Conditio systematis, huic morbo propria, ei similis esse videtur, quæ plerumque in hæmorrhagiis incidere solet. Æstas antecedens calore suo tantam arteriarum "FRAGILITATEM" facit, quo, hæmorrhagias copiosas et lethales præcavendi, non tantum actionem earum febrilem diminuere, sed eas contentis suis quasi exonerare, nobis in votis esse debeat. Quod posterius præstat, id manifestum est, et nihil aliud, quam sanguinis copiosa detractio, esse potest.

Multi auctores, qui super hoc morbo egerunt, plane confitentur, sanguinem, sub initium morbi, emittere multum prodesse. Ex iis non pauci

pauci tamen opinantur, missionem sanguinis raro iterari debere. Alii, contra, omnibus medicinam facientibus usu ejus repetito omnino interdicunt, et, ut tantum sanguinis, quantum ad febrem depellendam sufficit, uno eodemque tempore eliciatur præcipiunt. Iis quidem hoc facile assentior, sanguinem extrahere, nisi ad id, per primos morbi dies, confugiatur, parum esse profuturum. Si neglectui habeatur, morbo, in posterum, nunquam imperare valebimus. Contra, si tempestive adhibeatur, de eventu morbi fausto vix dubitari potest.

Vir celebris Rush opinionem, tantum sanguinis, quantum morbum curare valebit, ægroto semel mittendum esse, per res veras plurimas indubitabiles et valentissima argumenta, refutandam curavit, et mihi ex toto persuasit, vim stimulatricem hac evacuatione gradatim abstrahere, plerisque in exemplis, tantum prodesse posse.

Status

Status systematis nos, in missione sanguinis reiteranda, regere debet. Animus vero mihi inclinat, ut in sententiam eorum concedam, qui ad eam raro satis sæpe decurri existimant. Namque Dr. Rush memoriæ prodit, se ne unum quidem ægrotum, cui sanguis septies, pluriesve fuerit detractus, amisisse.

Sanguinis detractionem, hoc in morbo, raro excipiunt tumores crurum pedumve œdematosi, ut, in pleuritide aliisque morbis inflammationem habentibus, sæpe incidere notatur *.

Ægroti ex hoc morbo fere semper tardissime emergere solebant, quibus quantitas sanguinis idonea non fuerit extracta. Spatio vero brevissimo, duobus in exemplis, ubi quantitas perquam magna fuerat emissa, convaluerunt †.

Hac

* Rush.

† Ibid.

Hæ res veræ autem dignæ sunt, ad quas attendatur; namque ad istum metum sanguinis copiose detrahendi, qui hactenus apud eos, qui, plagis in calidioribus, medicinam faciunt, diminuendum haud dubie conferent. Medicum juniorem ab usu lanceolæ minime deterreant ægroti debilitas, pulsuumque tarditas; hae etenim non a debilitate, sed depressione proficiscuntur. Arteriarum pulsus attolli; et ægroti vires ab omni evacuatione colligere comperientur.

Quantum ad alvi purgationem attinet, bilem e corpore, hujus auxilio, evacuare non minoris momenti, in curatione hujusce febris, quam ipsa sanguinis detractio, esse videtur. Forsitan addiderim, illam, quam hanc, magis necessariam; namque multi, sine sanguinis detractione, paucissimi, uti credo, sine purgatione, ad sanitatem fuerunt reducti.

Plerique auctorum, qui hunc morbum fuerunt executi, ut ad purgationem decurratur suadent. Dr Moseley affirmat, in usu ejus, ab initio morbi ad finem ejusdem usque, perstari debere. Quinetiam Hillary refert, se hanc evacuationem, miserias ægroti levando, et vim morbi minuendo, insigniter prodesse fuisse compertum. Hi medici, ut salina medicamenta sola in usum revocentur, enixe suadent. Experientia vero manifeste demonstravit, ea ad febrem, quæ Philadelphiæ sæviebat, depellendam minime suffecisse. Drasticorum deinde periculum factum, quæ votis ex toto responderunt.

Dr. Blicke, de hoc morbo agens, notat, se, cum vomitio violentior erat, et nulla e medicamentis communibus eam compescere poterant, viginti aut triginta scammonii grana præscribere non dubitasse, quæ æque sæpe, ac ægrotus ea rejecit, repetebantur, donec alvum plene evacuarunt.

Calomelas,

Calomelas, quod purgantibus drasticis accensetur, effectus insigniter bonos, hac in febre, edere comperietur. Doctor Blane tradit, vim ejus stimulatricem, singularem, bilem e canali alimentario esse expulsuram, purgantibus salinis incassum tentatis. Quinetiam observat, purgantia salina illum dolorem, circa ventriculum, molestum nunquam levasse, quem calomelas depellere reperitur. Ut dosibus, a quinque ad decem grana, detur suadet. Optima autem ratio id præcipiendi est, calomelas cum æquali jalapii vel rabarbari quantitate conjungere, singulorum, exempli gratia, granis decem vel quindecim.

Dr. Rush nos certiores facit, se unum ægrotantem solum, cui glandulæ salivariæ mercurio afficerentur, amisisse. Idem notarunt Doctor Wade et vir generosus Chisholm. Ex hoc, non improbabile esse videtur, calomelas aliquam aliam, præter purgatricem, potestatem exerere

posse,

posse, quæ naturæ morbi funestæ occurrere potest.

Dr Rush me per literas, quas nuper acceperim, febrim flavam Philadelphiæ, autumno anni 1794, magnopere invaluisse, et se calomelas sanguinisque detractionem sæpius largius, quam anno superiore, adhibuisse.

Excerpta ex hisce literis sequentia lectoribus, uti spero, non erunt ingrata.

"My success has been much greater this, "than the last year, owing to my patients being "so much better attended and nursed. I have "bled more freely in our present, than in our "late epidemic. From a newly arrived English-"man I took 144 ounces of blood, at twelve "bleedings, in six days. Four of these bleed-"ings were in twenty hours. I gave him in "the course of the same six days, nearly

"150

"150 grains of calomel, with the usual pro-
"portions of jalap and gamboge."

A viro generoso Alexander, qui apud Doctorem Rush, per æstatem et autumnum anni 1794, divertebatur, sequentia accepi. "We "have had about forty cases of yellow fever, "besides five or six now under cure; they have "all yielded to copious bleedings, and jalap and "calomel; both of which remedies were pushed "farther than even Coxe and you have known. "We bled a young Englishman twelve times "in six days, taking at least 140 ounces of "blood; sixty-eight of which he lost in twenty-"four hours, by five bleedings. He took 150 "grains of calomel, ten of gamboge, three "ounces of castor oil, and about fifty enemas. "He is now well. We have bled five, six, "seven, eight, and nine times in most cases. "By such treatment we have relieved all our

"patients,

" patients, except one, who would not be treated, " as she was desired."

Vir generosus Doctor Drysdale, qui apud Baltimore, ubi febris flava insuetum mortalium numerum, anno salutis humanæ 1794, rapuit, medicinam facit, literas subsequentes ad Doctorem Coxe mittendas curavit. " A gentleman, " who was the fifth person, attacked in his own " family, was eminently dangerous. In twen- " ty hours, he lost about seventy ounces of " blood, and took near four scruples of cala- " mel. He had the black vomit thirty hours, " and an incessant hiccough for six days. He " is now in perfect health."

Proximum est, ut in utilitatem sudationis inquiramus. Multi medici sibimet in animum induxerunt, summi momenti esse, in curatione hujusce morbi perspirationem aut excretionem cutaneam promovere; quod sudor copiosus exi-

tum

tum febris faustum sæpe fuit comitatus. Sub initium vero morbi, ad sudorifica, nisi cautissime, non decurratur; namque, præterquam quod sudatio, hoc tempore, difficillime movetur, id temporis, quod nunquam revocari potest, perdimus, quodque in partibus curationis, quæ majoris momenti sunt, ponere debemus. Cum sudor tamen vel sanguinis detractionem, vel alvi purgationem, quod sæpe incidit, excipit, non supprimatur, sed promoveatur. Eum nunquam, vel sudorificis calefacientibus communibus, vel quantitatem stragulorum augendo, exprimere conari debemus.

Cum dolor, loco proprius, magnam ægrotanti molestiam facessit, epispasticum, parti laboranti admotum, summam levationem secum frequenter adducit.

Quantum emetica spectat, ea, me judice, in omni morbo acuto, præsertim in eo, ubi

magnus

magnus humorum impetus caput versus evidentissime fit, perquam caute præscribi debent. Nonne nobis igitur firmiter persuaderi debet, ea, in febre flava, summæ noxæ et detrimento fore, in qua non tantum violentus sanguinis cursus caput versus fit; sed in qua ventriculus adeo irritabilis est, ut genera cibi potionisve levissima tolerare nequeat?

Ne lector ponat, me usum emeticorum, in febribus regionum calidiorum, communibus, vel etiam in casibus febris flavæ mitioribus, respuere. Res longe aliter sese habet. Jalapium, quod calomelani adjunctum est, vomitionem sæpe movebat, et ventriculum bile liberando non parum proderat*.

Quod potissimum condemno, id est reiterata antimonialium, vel vomitum vel nauseam ciendi, præscriptio. Multi e scriptoribus medicis, apud

* Rush.

apud Indos occidentales, maxime spectabilibus quasi una voce testantur, se summas et irreparabiles injurias usum tartari emetici pulverisque Jacobi excipere vidisse*.

"Ventriculus enim inflammatus, vel summe irritabilis, sæpe lenissima ægre fert medicamina, qua re, emetica minime exhibeantur, nisi perpetuam vomitionem inducere velis et gangrænam†."

Quantum ad regimen, quod in hac febre debeat adhiberi, attinet, cum tot de aliis partibus curationis, tamque fuse, jam dixerim, parum necessarium forsitan esse videatur, aliquid amplius adjicere. Cum vero summi momenti sit, si huic morbo feliciter mederi velimus, ut pauculas paginas antecedentibus etiamnum addam, indulgens, uti spero, lector permittet.

* Mofeley, Jackfon, Hillary, Blane, and Reid.

† Bruce.

Pauci sunt morbi, in quibus ægrotantes majorem et ciborum, et potionum, et plerorumque etiam, quæ febri flavæ inimicissima ſunt, quam in eo, quem exequimur, varietatem appetunt.

Per prima morbi stadia, potiones lenissimæ et maxime refrigerantes præcipiantur, quales sunt succus malorum citreorum, decoctum pomorum, spuma sacchari Jamaicensis aquæ adjuncta, *&c.* Ægroti nihil appetentiæ plerumque habent, et, cum jejunium ad systema deplendum efficacissime conferat, eis usu alimentorum, in pauculos dies, ex toto interdicere conveniet. Dum vero ægrotantes ex hac febre convalescunt, cibum tantum, quantum antea respuerunt, desiderant. Cæterum omnino opus est, ut ad diætam solitam nimis cito redire prohibeantur; namque hinc morbi recidivi sæpe profluunt, qui plus periculi habent, quam primarii. Optima eos nutriendi ratio, cui insisti potest, eſt quantitatem cibi, concoctu facilis, exiguam, e brevioribus intervallis, illis concedere.

In

In ea conditionis corporis sui, per decursum febris, historia, quam tradidit Dr. Rush, refert se inopia victus, per eam noctem, postquam e secunda febris accessione emerserat, propemodum fuisse extinctum. Cibus igitur, ex iisdem intervallis, et nocte et die, ægrotis suppeditandus. Genus cibi varium esse potest, ut ostrea, pulli gallinacei, juscula, oriza decocta, lac et panis, &c.

Aer frigidus, vel frigidulus, ad cubiculum ægrotantis libere adspirare permittatur; manus faciesque illi frigida sæpe laventur; et enemata ex aqua frigida in alvum immittantur, quod non raro, cum commodo, fit.

Ita id, quod pro parte curationis principe habeo, tradidi. Cum primum febrem flavam, ut argumentum dissertationis inauguralis, seligere decrevi, eam tot comprehendere percepi, ut volumen ad omnia, eam spectantia, illustranda non

suffecisset

suffecisset. Idcirco ea tantum, quæ summi momenti esse, et plurimum luminis naturæ ejus offundere, posse videbantur, colligere, et in ordinem redigere, statui. Utrum hocce consilium necne mihi prospere successerit, aliis dijudicandum relinquo.

FINIS.